



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

5. De Altitudine Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

dus in eo consistit, vt inter singulas  
 respirandi vices singula orationis  
 verba transmittamus, expensa inte-  
 rim, vel significatione prolatae vo-  
 cis, vel personæ, ad quam oratio  
 spectat, dignitate; vel mea ipsius  
 vilitate, vel vtriusque postremo  
 differentia. Eodem procedendum  
 modo in verbis reliquis.

CONSIDERATIO V.

*De Altitudine Dei.*

**D**Eus dicitur *Excelsus* &  
*Altissimus*. 1. Vt causa  
 omnis celsitudinis & sub-  
 limitatis, quæ est in rebus  
 creatis; siue ea sit ratione loci &  
 magnitudinis; quo modo cœli ex-  
 celsi dicuntur: siue ratione officij &  
 dignitatis; sicut principes, Reges,  
 Pontifices, excelsi sunt: siue ratio-  
 ne naturæ; sicut Angeli qui rebus  
 omnibus corporalibus longè sunt  
 excel.

excelsiores: siue ratione perfectionis & status; sicut beati & inprimis humanitas Christi, deinde B. Virgo Mater Christi. Omnis huius celsitudinis ordinator, limitator, distributor, ac largitor est Deus, qui omnes partes vniuersi corporei & incorporei pulcherrimo ordine distribuit.

2. Quia ipse solus *verè sublimis & excelsus*: nam omnis celsitudo quæ est in rebus creatis, ipsius celsitudini comparata, non est celsitudo, sed solum imago, vel umbra celsitudinis ipsius. Omnes enim Reges, & Principes, imò omnes Angeli, & beati, sunt serui illius, & mancipia naturâ suâ: quamuis ipse sua benignitate, per communicationem spiritus sui, eos in filios adoptarit, & nomine filiorum appellet.

3. Propriissimè dicitur *Excelsus & altissimus*; quia ipse et secundum  
essen-

essentiam suam, & secundum omnes suas perfectiones, est infinite eleuatus supra omnem creaturam non solum actu existentem, sed etiam supra omnem possibilem, & mente conceptibilem; quantumuis ea sublimis, potens, sapiens, magna, pulchra, sancta concipiatur. Vnde non solum dicitur *Altissimus*, quia excelsior, vel altior omnibus alijs, sed quia infinite altior: adeo vt inter supremam creaturam existentem, & ipsum, sint infiniti gradus specierum Angelicarum sursum tendendo. Idem dicendum de gradibus beatitudinis. Vnde omnis creatura quantumuis excelsa, est infinito, vt sic dicam, interuallo infra ipsum locata; etsi in eodem spatio. Hinc fit vt inter creaturam, & ipsum Deum, sit infinitum quoddam interualum, non distantiae loci, sed naturae seu gradus; quod Mystici Theologi *solitudinem* vocant.

C O N S I -